

gia iugentia ἐρητικά, τικροσα & contentiosa. 1. Tim. 6. 4. 5. 2. Tim. 2. 24. Jac. 3. 5. absint χλιαρά vel tepida, nullo veritatis Zelo flagrantia. Apoc. 3. 16. ad πολυπραγμοσύνην nata Syr. 39. 25. 2. Tim. 2. 4. vel socordia & prorsus ἀέργαι, itemque voluptuaria, lucrum, propriumque honorem quærentia &c. Qui vero ad ejusmodi vitia propensos se animadvertunt, non minus in his animi morbis curandis, quam in rebus sacris cognoscendis laborent, si usui esse velint Ecclesia, quia animam malignam non ingreditur Sapiencia, nec corpus peccato subiectum. Sap. 1. 4. Adducatur ergo studium sedulitatis indefessæ, desiderium & amor doctrinæ sinceræ, veraeque pietatis & sanctimonia, ut Studiosus Theologia quotannis, imo quot horis seipso non modo doctior, sed & sanctior fieri contendat. 1. Tim. 4. 7. accedamus corde & corpore a peccatorum sordibus abluti Exod. 40. v. 12. 31. 32. Si quis voluerit facere voluntatem patris mei, is cognoscat de Doctrina mea, an sit ex Deo. Joh. 7. v. 17. Quas virtutes B. Antecessor omnibus Theologiæ cultoribus præscripsit, non hæsito in cathedra pugnaturis quam maxime commendare. Inter eas eminet reverentia erga Deum & res divinas, de quibus disputamus. Amor & timor Dei in corde absconditus verbis & factis externe declaratur, & animi sententiæ ex iisdem judicantur. Disputantis itaque animus formandus est, ut de Deo rebusque divinis reverenter sentiat & loquatur. Os loquitur ἐκ τῆς περισσεύματ<sup>ος</sup> τῆς καρδίας Matth. XII. 34. Cujus animus vero Dei timore non est imbutus, vilipendit res divinas, & quas defendit veritates, ex arrogantia & præsumptione defendit, quod vitium fœcunda multorum dissidiorum mater est. Nec opponens ea virtute destitutus satis verecunde de rebus divinis loquitur, sed animum nullo Numinis timore præditum manifesto prodit, verbis profanis, ineptis & risum commoventibus. Idem de rebus gravissimis ridiculas quæstiones

B

pro-